

Sacheto et iurisdictionem Gebeti secundum quod ipsi tenebant pro duce Enrico Saxonie, et ut ipse dominus confirmaret illud isti suo nuncio — dicendo de me — et eius nomine domni Adelardini¹, et me nomine domni Adelardini de illo honore Gebeti ad feudum investiret. Et dominus imperator stetit et respondit, dixit: *Ego bene faciam quod voluerit, sed mihi videtur, quod melius foret, quod dux adesset, quia semper eum expecto. Si vobis placet, expectate eum, dum venerit.* Et sic eum expectavimus, dum venit. Et ivimus ad eos et ivenimus² ipsum imperatorem et ducem sub papillionem² imperatoris, et dominus Garzapanus fecit eis iterum notum verba predicta domni Adelardini. Et ego ex parte domni Adelardini, cuius nuncius eram et dicebam fore, quesivi imperatori et duci investituram feudi nomine domni Adelardini nominatim de tototo² illo honore, quod habebant in Gebeto, et iurisdictionem² secundum quod ad regnum et imperium pertinebat et duci Enrico et secundum quod filius Olderici Sacheti et eius nepotes olim pro ipso duce habuere et tenuere. Et statim ipse imperator Fredericus traxit se beretam de capite et insimul cum eo duce — cum illa bereta ambo investire me et investituram in meis manibus fecere per rectum et liale² feudum, fecerunt vice et nomine domni Adelardini, nominatim de cuncto illo honore et illa iurisdictione², quem vel quam habebant in Gebeto, et de tota curia Gebeti secundum quod ad regnum et imperium pertinebat et de omnibus illis rationibus, quas² ad ipsum ducem pertinebat², et de toto eo secundum quod Oldericus Sachetus et eius filius et nepotes olim in Gebeto habuere et tenuere per ipsum ducem³. Hoc facto statim predictus dux Enricus per parabolam imperatoris, quam ei dedit, ut vidi et audiui, cepit Martinum Longum de ac civitate, qui ibi aderat, per manum et precepit ei et fecit eum suum missum ex precepto imperatoris, ut dictum habeo. Quem suum nuncium fecit, ut eius nomine et nomine imperatoris veniret et daret domno Adelardino tenuam de predicto feudo, secundum quod investituram

1) *et ei* (sc. nuncio) *nomine domni Adelardini* (sc. confirmaret): so wird doch zu verstehen sein. 2) Sic! 3) Der Herzog war bisher natürlich Heinrich der Löwe; den Ulrich hat nach der gleich folgenden Aussage des Malanotte schon Heinrich der Stolze mit Zevio belehnt: zwischen den Heinrich ist nicht unterschieden, und auch Heinrich der Stolze gilt als Herzog von Sachsen! Vgl. S. 580, Anm. 3.